

Quin etiã vulgus non facile regitur, cuius tanta petulantia tantaque ferocia est, ut in neminem magis insurgat, quam in illos, quorum imperio parere debet: ideoq; sic ait:

Nec tibi quadrupedes, &c.

Verùm hæc magnitudo difficultatis ac periculorum nihil movet homines imperitos, qui honores appetunt, vel infinitam potentiam affectant. ut enim temerarii, ita pertinaces sunt, nec sanis consiliis obtemperant. propterea hæc subdit:

Finierat monitus, &c.

Porro currus, quem agendum suscipit, summam rerum potentiam significat: in quo curru

Aureus axis erat, remo aureus, &c.

Hæc Verò nihil aliud sunt nisi ornamenta Reipub. qua magnanimus Phaethon miratur opusque perficit, hoc est, splendorem ac speciem regni intuetur: sollicitudinem autem & difficultatem imperandi non videt. Deinde per equos ipsum vulgus, per frena gubernatio & habena imperii intelliguntur, est enim similis equorum vulgi ferocia. Iam verò, qua arte regendum sit vulgus, docet, cum inquit:

Parce puer stimulis, &c.

Ostendens, optimam gubernandi rationem esse, continere vulgus in officio, non tam sevitia quam moderata quadã severitate. Stimuli enim indicant imperia dura & crudelia. Lora vero disciplinam gravem & constantem, ubi vincula legum neque sevitia nimium contrahuntur, neque lenitate nimium laxantur. Postea & subiungit,

Nec tibi directos placeat, &c.

Significans, non vi & impetu obnitendum esse populo, ut illius voluntati neque contumaciter adversari, neque omnino obsequi videare. nam in administranda Republica convenit imitari ipsum solem, quem Mathematici tradunt niti quidem contra supremi orbis impetum, sed oblique molliterque ex transverso. Et exempla utriusq; generis testantur, quam perniciosa sit, tum duranimum, & populari voluntati semper adversa severitas, (qualis fuit in Catone) tum blanda nimium, & ad vulgi libidi-

Ambitiosi
splendorẽ
non solici-
tudinem
regni intu-
entur.

Qua arte
regendum
sit vulgus.

Neq; con-
tumaciter
vulgi vo-
luntati ob-
nitendum
neque o-
mnino ob-
sequendũ